



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Sponsa duorum. Consilium DXXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

& ex hoc inferre velit illas personas, quæ usæ inveniuntur dispensatione & gratiâ sibi concessâ, nullam poenam incurrisse, *l. Gracchus C. Ad leg. Jul. De adul.* & ita meritò proles natas (præsupposito quoddam dicta D. ignoraverit tempore conceptionis impedimentum) censerî debere legitimas: huic facillimè respondere poterimus, si effectum gratiæ, quam facit Episcopus, dum banna remittit, intelligamus. Hoc enim agit, dum permittit, ut matrimonium solemnizetur omîssis bannis, quod procedentes omîssis bannis non possint puniri: qui tamen, si hoc illis permissum non esset, quamvis nullum obesset illis canonicum impedimentum, punirentur, *d. c. Cum inhibito §. fin. vers. sed his qui taliter, & ibi per gloss. in verb. penitentia. & c. i. de matrim. contra interd. Eccles. contracto.* Vel si dicere velimus, quoddam remittens banna, permittat, quoddam matrimonium possit contrahi & celebrari absque publicatione, quam requirit *d. c. Cum exhibitio*, quod absque illa publicatione fit, non fieri in facie Ecclesiæ; & sic inferre, quoddam remittens banna permittat, ut fiat extra faciem Ecclesiæ: quod non creditur, nisi id aperte dicat; cum sint planè distincta illa duo: huic similiter potuerimus respondere (etiam illo admisso, uti priùs diximus, scilicet permittendo illa omnia concedi, quod taliter contrahentes non puniantur propter matrimonium clandestinum) quoddam quamvis parentes non puniantur; quia permissione Episcopi contraxerint omîssis bannis, & extra faciem Ecclesiæ: tamen proles, quæ nascuntur altero parente ignorante impedimentum, non erunt legitimæ. Licet enim alterius parentis bona fides sufficiat ad prolis legitimætionem: hoc tamen procedit demùm, quando matrimonium in facie Ecclesiæ fuit contractum; hæc enim duo simul, & copulativè requiruntur, *d. c. Ex tenore.* Neque tanta & tam efficax est bannorum remissio facta per Episcopum, ut proles nata ex matrimonio, quod Episcopi permissione extra faciem Ecclesiæ celebratum, datâ bonâ fide alterius parentis, possit esse legitima; propterea quoddam canon requiratur ad prolis legitimætionem illa duo copulativè, ut dictum est. Item Episcopus remittens banna; aut permittens expressè quoddam extra faciem Ecclesiæ possit certæ personæ matrimonium contrahere; non aliter admittere solet, quam si quoddam uterque juret nullum subesse impedimentum; neque se scire aliquod impedimentum, & ita banna non censetur velle remittere, quando alter scit impedimentum subesse; prout A. in casu præsentis impedimentum non ignoravit, ut præsupponitur in themate nobis proposito. Quamvis ergo D. excusetur à poena contrahentium clandestinè, propter dispensationem obtentam, & ejus tamen proles non ideo censendæ erunt legitimæ: quia in potestate Episcopi non est legitimare proles, quas Canon declaravit illegitimas; quæque ex illo matrimonio procreatae sunt, quod in facie Ecclesiæ contractum non est, *d. c. Cum inhibito & d. c. Ex tenore.*

Concludendum igitur videtur, prædictum matrimonium esse nullum; & præterea clandestinè esse contractum; dispensationemque obtentam non

valuisse; & proles ex A. & D. natas, neque fuisse legitimas, propter solius impedimentum ignorantis bonam fidem; neque vigore prædictæ dispensationis, nullâ factâ mentione filiorum legitimorum, obtentæ: & consequenter non posse has proles succedere cum legitimis in bonis A. patris nunc defuncti. Ita ut præmittitur, videtur nobis Ruardo Tapper ab Enchusâ Sacræ Theologiæ Professori ac præclarissimæ Universitatis Lovaniensis Cancellario; Magistro Michaeli Driutio V. I. Doctori & Officiali Leodiensi; necnon Ioanni Wamefio V. I. Doctori ac in eadem Universitate Lovaniensi Professori, ad ea, quæ præponuntur, secundum canones & leges respondendum esse.

De Sponsa duorum.

S V M M A R I V M.

Vxor duorum.

1. Matrimonium an, & quando esse possit inter eos, qui se polluerunt adulterio.
2. Testes singulares, etiam in causa matrimoniali nihil probant.
3. Usurarius an matrimonium contrahere possit.
4. Testes in una causa producti quando probent in alia.

CONSILIUM DXXXV.

IN causa matrimoniali, quæ coram Venerabili Domino Officiali Antuerpiensi pendet, inter M. Antonium Someren Medicinæ Doctorem Actorem; & Domicellam Iudith Munick-huyfen Ream; id præcipuè quaritur, num dicto Actori petenti separationem, seu diremptionem matrimonii, etiam quoad vinculum, oster propria scientia, quoddam scilicet vel tempore contracti cum Rea matrimonii, vel post illud sciverit, Laurentium G. priorem dictæ Reæ maritum adhuc vivere; ad hoc, ut non possit petere hanc separationem, sed cogatur etiam invitus dictæ Reæ adherere; ex eo etiam, quoddam post mortem dicti Laurentii, Reæ in continua habitatione, & copulâ adhuc sit per plures annos? Existimat sanè id Rea, ideoque huiusmodi scientiæ probationem conata est conficere; sed irritò conatu: quippe ut maximè probata sit huiusmodi Actoris scientia, nihil id Reæ processu potest, sed præsumitur obesse.

Eo enim constituto, sine negotio statim concitatur hoc inter Actorem & Ream de facto contractum matrimonium, eo loco esse, ut non tantum ab actu fuerit nullum, (nulla quippe potest esse matrimonialis conjunctio legitima cum illa, quæ alteri adhuc nupsit, *c. 2. De sponsa duor.*) sed præterea nullo unquam tempore convalescere potuerit, vel possit; sublato etiam impedimento ex dicto Reæ priore matrimonio per sequentem mortem Laurentii.

Nam ita aperto jure definitum est, ut si contrahentes matrimonium, uterque sciat, vel utrumque, vel alterum ipsorum esse conjugem alterius adhuc viventis, ab initio inter eos nullum omnino sit matrimonium; & usque adeo nullum, ut mortuo priore conjugè nec tacitè ex conabitatione, quamvis longissimâ, nec expressè ex novo consensu, seu contractu inter eos coalescere possit matrimonium, sed omnino separari debeat huiusmodi adultera cohabitatio, *c. Cum haberet, c. Super hoc De*

hoc De eo qui duxit in matrim. quam poll. per adul. etiam si prior conjunx separatus esset à thoro propter adulterium, cap. Ex literarum eod. tit. can. Sicut vir vii. q. 1. sicut impedimentum, quod ex hujusmodi conjunctione nascitur, sit perpetuum, & morte prioris conjugis minimè purgetur; ideoque obstat contrahendo inter hos adulteros, & de facto contractum dirimat: efficit enim id utriusque scientia de priore matrimonio; & matrimonium de facto, contractum, vel data de illo fides cum sequente copula: quorum uno deficiente non impediretur matrimonium de novo inter hos contrahendum, Henric. Bohic in cap. ult. De eo qui duxit in matrim. Præpos. in Rubr. eod. tit.

Quæ perinde obtinent, siue scientia utriusque sit tempore contracti de facto secundi hujus matrimonii, siue post contractum illa supervenerit, & post supervenientiam in carnali consuetudine permanerint. Etsi enim sola scientia tantum irremediabile impedimentum non faciat; quia inter hos mortuo priore conjugis matrimonium coalescere possit, si velint: facit tamen si post scientiam copula carnalis inter eos repetatur, aut quæ prius non intercessit, postea intercedat, Gloss. in d. c. ult. & ibi Henric. Bohic, Præpos. ad d. Rubr. Et hoc est, quod Panormitanus his paucis verbis explicat, Si mulier (idem est in casu converso de viro, quia in hoc articulo ad paria judicantur, in cap. 1. nu. 3. De eo qui duxit in matrim. & c.) quæ cum alterius marito matrimonium duntaxat contraxit, certiorata de vita primi, permittit se cognosci ab illo viro, non potest eum amplius habere maritum. Atque ita indubitissimum redditur, quod, siue scientia in dicto Actore constituatur tempore contracti cum Rea matrimonii; siue post illud contractum, vivente adhuc Laurentio; non minuatur, sed augeatur impedimentum; non tantum ad annulationem prius contracti, sed etiam postea contrahendi cum Rea matrimonii: quia est juris perpetuum impedimentum per partes non remissibile.

De hac autem scientia Actoris apertè depingere videntur Adriana, Antonius, & Domicella Catharina: item illi, qui deponunt Actorem Rea sapè objecisse, quod esset scortum Itali, seu Lombardi; & quod Rea id replicatione matrimonii excusaverit. Quamvis tamen verum sit, hos testes omnes ex loco & tempore esse singulares, nec inter eos esse duos, qui in loco, tempore, & verbis, vel scientiæ causa conveniant: ita ut quatenus ad Actorem eorum testimonia referri possent, nihil omnino possent. Singulare enim testium nulla est fides, l. Iuristamendi c. ibi Bald. c. De iureiur. cap. Licet De probat. Alexan. consil. 182. In causa & lite vol. 4. præsertim in causa matrimoniali, in qua ex semiplena probatione iuramentum in supplementum non defertur, Gloss. & Doct. in cap. Mulieri De iureiur. ita ut hi testes Rea, quæ illas produxit, nocere, l. Si quis testis c. de testib. non verò etiam prodesse possint; si forte ex eorum testimoniis aliquo modo deprehendi posset de supervenientia veræ scientiæ in persona Actoris demum post mortem Laurentii, ad illum finem, ut constitutà ignorantia Actoris, durante

vitâ Laurentii, jus connubii seu legitimi matrimonii ex tunc saltem constituatur, & in sequente cohabitatione velut novus consensus, cap. Veniens De eo qui duxit in matrim. & c. Quod tamen Rea apertè non articulavit, nec quisquam dictorum testium præcisè deposuit: cum & allegationes Rea, & testimonia super iis recepta, tendant ad demonstrandam scientiam utriusque, tam in Actore, quam Rea, vel ab initio, vel ex post facto, vivente adhuc Laurentio: ex qua scientia Rea, ut diximus, nihil pro se, sed omnia contra se, & extra omnem dubitationem, desumere potest. Nec hac ratione potest dici, quòd Actor de mendacio possit redargui; dum ubique constanter negat se de matrimonio Laurentii primum certioratum factum esse sub tempore institutionis hujus litis: nam, ut dixi, testimonia hæc in præjudicium Actoris non probant ob eorum singularitatem. Deinde ex ipsæ testimoniis, satis percipitur scientiam illam, de qua deponunt, fuisse incertam & fluctuantem; cui admixta semper fuit contraria assertio dictæ Rea; quòd inter illam & Laurentium nullum verum matrimonium intercessisset, & quod ab illo absoluta fuerit: indeque esse, quòd quidam ex testibus deponunt de probrosa Actoris adversus Ream exprobratione, de scortatione, & meretricatu illius cum Italo, seu Lombardo, hoc est cum Laurentio; & de excusatione Rea quoad falsam opinionem, qua credebat illum suum maritum esse. In qua incerta & fluctuante certioratione superveniente, scientia constitui non potest: præsertim ex contraria persuasione, & affirmatione Rea; cui illa, non Actori nocere debet, l. Quod si cum scies, l. Si quis affirmaverit d. De dolo malo. Sic ut cū ab initio contracti hujus matrimonii Actor in bona fide fuit, non debuerit quocumque rumore superveniente contrariam fidem, vel scientiam assumere: in d. nec de veritate inquirere, aut propterea à continuatione possessionis matrimonialis abstinere quoad forum contentiosum, Bohic in d. c. Veniens; præsertim Rea contrarium asserente. Ita ut quocumque res vertatur, Rea contrariis suis allegationibus se jugulet; & ubique suam scientiam sibi contrariam habeat: ob quam, non exactè probatà sequente post obitum Laurentii scientia Actoris, non potest contendere ad prius inutiliter contracti matrimonii convalescentiam ex sequente cohabitatione, quæ convalescentia non inducitur nisi constitutà ignorantia alterius conjugis ab initio, & sequenti cohabitatione ac copula post sequentem scientiam ex tempore, seu post tempus mortis primæ conjugis: ideoque supervacanea omnino sunt testimonia Rea in hac instantia super cohabitatione, & tractatione longiore post mortem Laurentii adducta.

Quod etiam præstans Rea non fuit ausa considerare his allegationibus & testimoniis; sed allegando nullitatem matrimonii sui cum Laurentio, super eadem nullitate testes aliquot produxit, per quos conata est probare, nullum matrimonium nisi simulatum inter eam & dictum Laurentium contrahi potuisse, nec contractum esse. * Contrahi quidem non potuisse, ex eo, quòd Laurentius tunc fuerit publicus fenerator, & usurarius; quod

per duos testes probare conata si sit: videlicet per Richardum M. & Hippolytum B. qui tamen omnino in dictis suis singulares sunt. Verum frivola est ea allegatio; cum nullo jure invenitur prohibitum matrimonium usurarii, sed illius capaces sint etiam excommunicati quicumque, *c. Significasti & ibi Panorm. & alii de eo qui duxit in matrimonium*. Neque enim qui benedictionem matrimonialem consequi non potest, matrimonii incapax censei debet; cum benedictio non sit substantia matrimonii; & secundo nubentium matrimonium teneat, benedicti tamen non possit, *c. 1. de secund. nuptiis*. Contractum vero non esse iterum asserit Rea, propter simulationem Domini Antonii: verum nullam fuisse simulationem, sed rem veram, & serio actam, satis constat ex attestazione ejusdem D. Antonii facta super hoc matrimonio cum Laurentio; cujus attestacionis authenticum exemplum est exhibitum. * Quae etiam facta non sit in hac causa, & inter has partes, quia tamen facta est super illo matrimonio, fidem quoad omnes etiam in lite non existentes facit, *Felin. in c. Causam qua n. 26. de testib. & in omnem eventum conjuncta cum aliis plenè probat, & cuicumque contraria ejusdem Domini Antonii assertioni praesertim facta extra judicium praedictat, c. Si cut de testib. c. Per tuas de probat.* Proinde nihil curanda est depositio Mariae S. quae deponit se audivisse dictum D. Antonium asserentem, quod eam & Laurentium matrimonialiter non conjunxisset, nisi simulatè; maxime, quia hoc ejus testimonium sit singulare: ei quae hac in parte credi non debeat, non magis quam ipsi D. Antonio id asserenti in hoc iudicio crederetur, *c. Licet ex quacumque, vers. cum non sufficeret de testib.* Cujus testimonio non potest conjungi testimonium Aariani N. qui hanc simulationem directè asserere videtur: quia de actu ipso simulationis deponit, & quidem solus; cum Maria de subsequuta confessione deponat; atque ita fidem mereri non debet, sed insufficientem probationem facit; cum alioqui etiam in tempore cum illa non conveniat, & alias probationes sibi resistentes habeat, *c. Veniens 1. in fine de testib. c. Cum dilectus versic. Et si tres de elect.* Et sic exultimamus Venerabilis Domini Officialis officium esse, ut pro dicto Actore motum animi sui componat & sententiam dicat.

De sponsa duorum.

S V M M A R I U M.

Mors conjugis absantis an praesumatur.

1. Coniux qui multis annis de vita conjugis nihil audivit, an secundas nuptias contrahere possit.
2. Episcopus nulli debet dare licentiam contrahendi matrimonij ob mortem conjugis absantis, nisi de illa certo constet.
3. Maleficium nullum sufficit ad dissolutionem matrimonij.

CONSILIVM DXXXVI.

A NNOTATIO, seu apostilla, quam Reverendissimus Dominus Episcopus Ruremundensis iussit adscribi supplici libello, suae Reverendissimae Gratiae porrecto pro parte

Henrici M. petentis sibi dari licentiam contrahendi matrimonium cum alia, ex ea causa, quod Maria G. ejus uxor de veneficio accusata, in exilium ante septem annos acta, nusquam amplius appareat, nec adhibita etiam diligentia inquisitionis invenitur; neque de superstitis adhuc ejus vita quicquam audiat, ideoque mortua praesumatur, est omnino juri & rationi consentanea.

Quamvis enim haec diutina uxoris absentia post tantam praesertim inquisitionem, animum dicti Henrici in bona conscientia obfirmare possit, ut firmiter credat illam esse mortuam, & se sic omnino solutum à vinculis, & legibus matrimonij, eaque violenta praesumptione, & conscientia nihil dubitans de morte conjugis, bona fide possit contrahere aliud matrimonium, *c. Dominus de secund. nuptiis*. & sic contrahendo nullo modo peccet, nec nisi detecta postea conjugis adhuc superstitis vita, eo nomine puniri possit, *Gloss. in can. Cum per bellicam xxxiv. c. 1. Anchar. consil. 401. Stiposius, Bened. Capra consil. 129. Esi viso; line qua sequente detectione jam tunc in rei veritate stat praesumptio mortis ex illo tempore; praesentia enim & praeterita etsi saepe apud nos incerta sunt, per rerum tamen naturam certa possent esse, vel non esse, 1. Cum ad praesens cum l. leg. Si cert. per. §. conditiones Instit. de verb. oblig. Steph. Bertrandi consil. 198. Etiam si heres a vol. 4. * non debet tamen ad id faciendum auctoritatem suam Episcopus, seu Ecclesia impertiri, ut ex licentia illius contrahat nuptiae magis excusentur, nisi in certitudine mortis: ita ut ad impediendam hanc licentiam, nulla quantumvis probabilis, aut vehemens praesumptio sufficiat ut aperto jure definitum est, in c. in praesentia de sponsal. deas. Tholos. 316.*

Et quamvis Panormitanus, in d. c. In praesentia in fine, nullum discrimen constituat inter conjugem contrahentem, & Ecclesiam, seu Episcopum autorizantem, ut ille nihilo facilius, ex quacumque etiam praesumptione possit contrahere, quam hic auctoritatem accommodare: ex sententia tamen Antonii Butrii, in d. c. In praesentia, communis receptum est, conjugem excusari probabilitate, & vehementia praesumptionis, & ex verosimilibus conjecturis in bona fide; non etiam Episcopum, qui de morte certus esse debet: ne ejus auctoritate anceps periculum subeat, Praepositus in d. c. In praesentia n. 4. Roland. à Valle consil. 93. Prima facie vol. 3. Phil. Portius consil. 26. An alter coniugum n. 5. & ex ejus improvido errore evulsio quaeratur, c. Praetatum Qui sil. h. Non debet igitur Episcopus auctoritatem seu licentiam concedere: nec tamen prodesse contrahentibus, multa fieri prohibentur, quae facta tenent, 1. Relegatorum §. ad tempus D. de interd. & relegat. Proinde indubitata conscientia, & vehementi praesumptione ac persuasione, sine periculo poterat hic supplicans de facto contrahere matrimonium, non requisita Episcopi licentia: sed tamen Reverendissimus Dominus Episcopus petitam licentiam, ante omnem certitudinem concedere non debuit. Et quod de consuetudine observata Lovanii, seu in Diocesi Mechliniensis proponitur, erroneum est: nulla enim talis est, nec esse possit adversus tam apertam juris prohibitionem.